

testium receptionem, vel ad sententiam definitivam. Hinc etiam reo contumace iudex ultro in causa procedere potest, et sententiam pronuntiare.

59. At Clementinis citatis derogavit Benedictus XIV. per Constit. *'Dei miseratione'* quapropter hodierno jure in tractandis et decernendis causis matrimonialibus quoad vinculum præ oculis haberi debent cit. cap. Clementinarum, nec non cit. Constit. *'Dei miseratione'* et Instructio S. Congregationis Concilii anni 1840, de qua supra.

60. In ordine vero ad causas divortii quoad torum et cohabitationem servatur ratio et forma judiciorum ordinariorum. Præ oculis autem haberi potest resolutio S. Cong. Conc. in causa Bavarie de qua egimus in tit. 6. lib. 2. *'Ut lite non contestata.'*

61. Relate ad onus alendi et educandi filios, ante divortium natos, tenenda norma juris civilis locorum.

62. Antequam tituli decimi noni expositionem expleamus, animadvertimus non paucos errores sustineri et evulgari ab hostibus Ecclesie Catholice contra sanctitatem matrimonii et in specie contra vinculi conjugalis indissolubilitatem. Siquidem moderni politici matrimonium ad meram civilem conditionem reduci posse autumantes, consequentiam hujus theorie in medium proferunt et propugnant; videlicet quemadmodum lex civilis est quæ conjuges ligat, ita etiam potest eadem lex conjugii ligamina dissolvere. Qui autem inter ipsos majori utuntur moderatione, contendere satagunt divortium quidem in genere admitti non posse, ob incommoda quæ secumfert contra societatem domesticam, attamen aliquibus in circumstantiis divortium necessarium esse ad graviora mala vitanda, illudque esse adoptandum tanquam minus malum inter mala majora. Hinc in schemate legis proposito discussioni Camera Regni, quod Italicum appellant, solummodo sub aliquibus conditionibus, et in quibusdam circumstantiis divortium permittitur.

63. Quoniam vero errores hujusmodi contra divinam dignitatem matrimonii, et præsertim contra ejus perpetuitatem non solum in publicis scholis tum Galliarum, tum Italiae propugnarentur, sed etiam ex editis libris et ephemeridibus in vulgus propagarentur, ad fideles in tanti momenti materia decipiendos, necesse fuit ut Supremi pastoris et Magistri in Ecclesia oraculum prodiret quo erroris tenebræ dissiparentur, et vera lux veritatis fulgeret.

64. Et revera opportuno tempore SS. D. N. Leo Papa XIII. Encyclicas litteras edidit die 10. Februarii a. 1880. incipientes *'Arcanum divinæ consilium'* in quibus claro et sapienti eloquio fidelibus totius orbis exposuit catholicam doctrinam de conjugali fœdere, deque ejus indissolubili natura, nec non demonstravit maximam utilitatem quæ ex hac doctrina societati civili derivat.

TITULUS XX.

De donationibus inter virum et uxorem, et dote post divortium restituenda.

I^o. De donationibus.

1. Donatio definitur *'Liberalitas nullo jure cogente in alium collata, et ab eodem acceptata'*. Quamvis donari possit propter causam ex. gr. ad gratum animum ostendendum ob officium vel utilem actionem, quo in casu donatio dicitur *remuneratoria*, tamen ut verificetur proprie dicta donatio, persona erga quam exercetur liberalitas jus verum habere non debet.

2. In titulo agitur de donationibus inter virum et uxorem, constante, idest contracto jam matrimonio. Ex cap. ult. h. t. habemus confirmatam fuisse legislatione Ecclesiastica dispositionem civilis juris, qua interdiciuntur donationes inter virum et uxorem.

Diximus interdictas fuisse donationes *constante matrimonio*, nam inter *sponsos* possunt fieri donationes etiam intuitu nuptiarum, quæque appellantur donationes *propter nuptias*.

Ut cognoscatur extentio prohibitionis donationum inter conjuges, rationes habendæ sunt præ oculis, ob quas istæ donationes prohibita sunt.

3. Rationes autem cur donationes inter virum et uxorem, constante matrimonio, invalidæ sunt coram lege binæ adsignantur 1^a. ne ob nimium amorem unus in alium conjugem rerum suarum prodigus fiat et ad paupertatem redigatur; 2^a. ne amor conjugum purus et honestus fiat venalis, et concordia inter conjuges abrumptur ob rem ab uno valde concupitam et ab alio denegatam.

4. Ex hisce rationibus sequitur 1^o. a lege interdici solummodo *magnas donationes*, ob quas unus conjux ditior, alius vero fiat pauper; 2^o. donationes proprie interdici *de rebus jam possessis*, non autem *de rebus vel juribus futuris et possibilibus*; 3^o. sequi-

tur valere donationes eorum, quæ fiant in *ornatum uxoris*, quia usus has donationes recipit, et vir non uxoris sed sui causa videtur eas fecisse; 4^o. sustineri etiam donationes uxoris ut *vir honoribus vel muniis augeatur*, quia hæc etiam in uxoris bonum cedunt. Ita Doctores juxta leges civiles communiter receptas.

5. 5^o. Ex allatis superius rationibus sequitur interdicti magnas donationes *inter vivos*, quæ nempe sint natura irrevocabiles, non autem quæ fiunt *contemplatione mortis*, quia postremæ donationes possunt revocari quando placeat, ad modum testamenti quod non valet ante mortem testatoris. Hinc non verificatur ratio paupertatis. Quæ animadversio etiam ostendit cur in jure expresso in cap. fin. h. t. dicatur morte donantis firmari donationes invalide factas si ante mortem non fuerint revocatæ ab eodem.

6. Et quidem donationes non revocatæ confirmantur non solum per mortem naturalem, sed etiam per mortem civilem, et per professionem in Religione quæ incapax est possessionis. Ratio est quia lex interdicens donationes magni momenti, vult consulere bono donantis ne in paupertatem incidat. Hinc statuit donantem non teneri ad observandam donationem, sed posse eam revocare quando velit. Si igitur donans vivens non revocaverit, præsumitur morte confirmasse actum donationis, et quasi per testamentum alteri conjugii reliquisse portionem bonorum suorum.

7. Tandem juxta principia juris in tit. '*De Jurejur.*' dicimus non posse revocari donationes inter virum et uxorem juramento firmatas, quia donans videtur renunciasset juri revocandi et rescindi actum donationis.

II^o. De dote.

8. Nomine dotis venit '*certa pecuniæ quantitas aut res sive mobilis sive immobilis, ab ipsa uxore vel ab alia persona data vel promissa viro in occasione matrimonii ad sustinenda onera ejusdem matrimonii.*'

Hinc alia est dos *promissa*, alia *constituta*. Dos pariter dividitur in *qualificativam et quantitativam*. Qualificativa consistit in fundo vel in re inæstimata, vel si æstimatio addatur solummodo adjiciatur demonstrationis causa. Quantitativa est quæ consistit in numerata pecunia, vel in determinato valore alicujus rei.

9. Si dos marito tradatur, maritus fructus ex ea provenientes solummodo percipit, quia non proprietas, sed fructus necessarii

sunt ad onera matrimonii ferenda. Hinc vir tenetur conservare uxori suæ acceptam dotem, sive quoad qualitatem, seu rem determinatam, si dos fuerit qualificativa, sive quoad æstimationem et valorem si dos fuerit quantitativa.

Quod si dos solummodo promissa fuerit, qui promisit tenetur respondentens fructus solvere viro, quia dos est natura sua frugifera, eo quod traditur vel promittitur ad sustinenda onera matrimonii.

10. Præter dotem uxor potest afferre secum alia bona, quæ remaneant penes ipsam tum quoad proprietatem, tum quoad usum fructum, quæque dicuntur *extradotalia*. Vir nullum jus habet circa bona hujusmodi, quia non sunt ordinata ad sustinenda onera matrimonii. Quod si hæc bona tradantur viro administranda, appellantur *paraphernalia*. In his autem bonis vir habet nudam custodiam et administrationem ad uxoris beneplacitum, cui etiam uxori cedunt fructus eorundem bonorum.

11. Doti quam affert mulier respondet *donatio propter nuptias seu contrados*, cujus nomine venit quidquid vir ante vel post nuptias uxori adsignat in securitatem dotis, retinens apud se administrationem et usum fructum rerum adsignatarum.

12. Donatio propter nuptias distinguitur a *sponsalitia largitate*. Etenim sponsalitia largitas est quidquid sponsi sibi invicem donant sub tacita conditione ineundi matrimonium futurum. Hinc sponsalitia largitas est restituenda quoties matrimonium absque alterius sponsi culpa non sequatur. *l. 15. Cod. De Donat. ante Nupt.* Transit vero in plenum et perpetuum dominium donatarii, quoties matrimonium fuerit contractum.

III^o. De restitutione dotis.

13. Si matrimonium dissolvatur per divortium plenum, dos est restituenda uxori, vir autem contradotem liberam recuperat, nisi ex consuetudine aliud obtineat, vel nisi pactum intercesserit de lucranda dote vel donatione inter nuptias. Ita in cap. ult. h. t. in fine.

14. Quod si matrimonium fuerit resolutum per mortem alterutrius conjugis restitutio facienda est solummodo, liberis non extantibus. Liberi enim extantes succedunt in bona et jura parentum defunctorum.

15. Si divortium sit semiplenum distinguendum est utrum ex mutuo consensu, vel ex crimine separatio conjugum fiat. Si ex mutuo consensu separentur conjuges, mulier recuperat dotem, vir res donatas propter nuptias, si autem ex adulterio, vel in genere ex crimine viri, mulier recuperat dotem, cap. 1. h. t. et etiam suum faciet dotalitium seu donationem propter nuptias. Arg. cap. 4. h. t.

16. Si vero divortium fiat ex adulterio, vel ex alio crimine uxoris, ipsa amittet jus repetendæ dotis, quæ viro cedit. Cap. 4. h. t.

Causam restitutionis dotis videt et decernit idem Judex, qui causam divortii cognoscit. C. 3. h. t. Tandem in re nostra animadvertimus juxta canonicum jus expressum in can. 2. h. t. ea bona quæ, constante matrimonio, obveniunt et sunt effectus industriæ communis conjugum, æquitate suadente, utrique conjugi æquis partibus spectare, adeoque, soluto matrimonio, æque esse dividenda.

TITULUS XXI.

De secundis nuptiis.

1. Secundæ et eo magis posteriores nuptiæ minus honorabiles in Ecclesia habitæ sunt, tum quia videntur insinuare intemperantiam, tum quia non repræsentant perfecto modo typum conjugii Christiani, nempe unionem Christi cum Ecclesia, quemadmodum hanc unionem repræsentat matrimonium unius cum una. C. 5. *'De Bigam. non ord.'* Quare ex defectu significationis ob secundas nuptias inductum est impedimentum irregularitatis ad ordines suscipiendos, et in vetere Ecclesia imponebatur aliqua pœnitentia fidelibus secundas nuptias contrahentibus. Ita Can. 8. c. 31. q. 1. At hæc pœnitentia contraria consuetudine sublata est.

Secundæ autem et posteriores nuptiæ non solum validæ sunt, quia in ipsis ratio contractus naturalis, et ratio sacramenti reperitur, sed etiam licitæ revera sunt inter fideles. Sufficiat citare S. Paulum in Ep. ad Rom. 7. et in 1^o. Cor. 7. ubi absolute ait mulierem posse alteri viro nubere in Domino, si vir ejus dormierit. Imo in 1^o. ad Tim. 5. vult S. Paulus, *'viduas juniores nubere'*.

2. Sive quia secundæ nuptiæ minus honorabiles sunt præ primis, sive quia semel data nuptialis benedictio iteranda non esse videtur benedictio interdicta fuit in secundis nuptiis, immo pres-

byter secundis nuptiis benedicens, pœna suspensionis plectebatur. C. 1. h. t.

3. Verum per consuetudinem communem introductum est, ut secundæ nuptiæ non quidem benedicerentur quando mulier esset *binuba*, benedicerentur autem quando vir esset *viduus* et duceret uxorem mulierem, quæ alias non fuit benedicta. Ratio est liturgica. Quia benedictio proprie dirigitur ad uxorem, hinc mulier, quæ aliud matrimonium non contraxit, benedictionem quam alias non recepit potest recipere.

4. Quæritur quandonam possint novæ nuptiæ contrahi.

Juxta leges civiles in Cod. Just. h. t. nuptiæ interdictæ erant intra annum luctus, ita ut mulier quæ ante completum annum a morte primi viri nupsisset alteri viro incurreret pœnam infamiæ, nec non alias pœnas, ex. gr. inhabilitatis ad quamcumque hæreditatem vel legatum obtinendum.

Hæc porro dispositio facta erat 1^o. ut rigide et indubie definiretur paternitas filiorum, nec facile ad primum conjugium referretur filii geniti in secundo conjugio; 2^o. ut bonorum morum ratio servaretur, et evitaretur periculum in mulieribus cogitandi et conciliandi novas nuptias, prioribus adhuc existentibus.

5. Verum jus canonicum adhærens intentioni juris divini expressæ a S. Paulo in I. Cor. 7. et cupiens evitare periculum incontinentiæ in conjugate superstitie correxit jus civile, et abstulit pœnas statutas contra conjugem superstitem, qui contraheret matrimonium ante completum annum luctus a morte prioris conjugis. Ita in capp. 4. et 5. h. t.

6. Sed juxta legem S. Pauli in I. c. requiritur ut cognoscatur mors alterius conjugis.

Lucius III. statuit ut nullus ad secundas nuptias migrare præsumeret, nisi constaret de morte alterius conjugis. Consonat cap. 19. *'De Spons. et Matrim.'* Quod si nondum habita certa notitia mortis alterius conjugis, alter conjux matrimonium contraxerit, et proinde aliquatenus dubitet de valore hujus secundi matrimonii, poterit utique debitum reddere si ab alia parte petatur, quæ versatur in bona fide, quia fraudandum non est jus quod habet pars in bona fide; non poterit vero debitum petere, quia aliquis uti non potest jure quod certo non possidet. Si autem inde constiterit de vita prioris conjugis, matrimonium secundum est